

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Anlässlich der Einweihung des Apollotempels auf dem Palatin verweist der Dichter auf die Rolle des Gottes in der Schlacht von Actium und lässt ihn als Sprecher auftreten.

mox ait 'o Longa mundi servator ab Alba,	1
Auguste, Hectoreis cognite maior avis,	2
vince mari: iam terra tua est: tibi militat arcus	3
et favet ex umeris hoc onus omne meis.	4
solve metu patriam, quae nunc te vindice freta	5
imposuit prorae publica vota tuae.	6
quam nisi defendes, murorum Romulus augur	7
ire Palatinas non bene vidit aves.	8
et nimium remis audent prope: turpe Latinis	9
principe te fluctus regia vela pati!	10
nec te, quod classis centenis remigat alis,	11
terreat: invito labitur illa mari:	12
quodque vehunt prorae Centauros saxa minantis,	13
tigna cava et pictos experiere metus.	14
frangit et attollit vires in milite causa;	15
quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.	16
tempus adest, committe ratis: ego temporis auctor	17
ducam laurigera Iulia rostra manu.'	18
dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:	19
proxima post arcus Caesaris hasta fuit.	20
vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:	21
sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.	22
at pater Idalio miratur Caesar ab astro:	23
'sum deus; est nostri sanguinis ista fides.'	24
prosequitur cantu Triton, omnesque marinae	25
plauserunt circa libera signa deae.	26
illa petit Nilum cumba male nixa fugaci	27
occultum, iusso non moritura die.	28
di melius! quantus mulier foret una triumphus,	29
ductus erat per quas ante Iugurtha vias!	30
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius	31
una decem vicit missa sagitta ratis.	32
bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo	33
victor et ad placidos exuit arma choros.	34